

cus in ordine sui ordinis officium valeat exercere. Respondetur negative. Ad calcem: *Hec magister Henricus* (cognomen exesum) doctor decretorum in quolibeto artistarum determinavit in (non dubito *Vienna*, sed exesum) Anno Domini Millesimo quadringentesimo nono. Duos *Henricos* circa hoc tempus muniis academicis occupatos invenio Decretorum Doctores: unum *Bernstain*, alterum de *Kützpuhel*.

VI. fol. 352. Habebatur Iudicium Universitatis *Vien. de Cultu XXIV. Seniorum* in *Styria* superiore invalescente ad quendam ibi Archidiaconum, sed forte fortuna jam *Vol. I.* illud relatum est; hic enim non nisi mucidae laciniae superant.

## DXXXIX.

U. 109 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 284. 4. currente calamo, non ab uno exaratus, et olim, ut anterior theca testatur, legatus ducali Collegio *Vien.* a *M. Leonardo de balstat* Theol. Baccal. formato continet Lecturam prolixam in *Petri Lombardi Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Creationem rerum insinuat scriptura. Liber 2<sup>us</sup> in quo determinat Magister de rerum creatione et earum ornatu &c.*

II. fol. 217. Prolusio in Lecturam *Cantici Canticor.* hoc initio: *Secundum eximie facultatis theologice consuetudinem &c.* Thema est: *Eruclabo abscondita a constitutione mundi. Matth. 13. 35.*

Vocat Autor *Cantica Librum secundum cursu sui.*

III. fol. 223. Lectura ipsa hoc initio: *Salomon pacificus et amabilis domini mores in parabolis corrigit &c.* Haec e galeato *Hieronymi* Prologo aliquibus codicibus *biblie* proponi afferit Noster.

IV. fol. 259. Prolusiones III. in Lecturam II. III. et IV. *Libri Sententiarum*, quarum idem Thema jam citatum: *Eruclabo abscondita &c.* ut noris, omnia ab eodem calamo profluxisse. In I. nullos *Cathedrae Collegas*, in II. *Georium de Valsee* et *Georium de Giengen* nominat, quibus in III. *Conradum de Nurnberga* addit. Nullibi aut nomen Autoris, aut nota temporis adest, non magna sane iactura, cum et media foliorum facies per totum Codicem humore multum evanuerit.

## DXL.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1122 XIV. Folior. 143. 4. per duas columnas nitide, multis tamen scribendi compendiis, exaratus, rubricis distinctus et quondam *M. Andreae*, quem *Andream de Weytra* Theologum nostrum habeo, dein Collegii S. J. *Vienn.* Commentaria in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* completitur sine Autoris nomine, quae sic inchoant: *Cum uenit plenitudo temporis misit deus filium suum — In hiis uerbis opus reparationis mundi que per christum est facta describitur de quo opere liber iste tertius sententiarum contexitur.*

repa.